



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Abstinendi à carnibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

dantur, gratos se palato exhibebunt; cumque ex alia parte concedamus omnes solum esse veniale, propter parvitatem materię, tam exigua additione non violandam moraliter sic esse jejunium, videbitur aliqui. Quid, si neque hæc addantur sed meri vermicelli, & similes aqua costi comedantur?

Respondeo: quamvis hoc posterius sit concessu facilius, tamen utrumque puto esse contra ejusmodi votum. Ratio ducitur ex interpretatione communi sic votentium, qui dum jejunium vovent in pane, & aqua, solo pane se fore contentos promittunt, nisi expressè aliud intendat: at illa, quamvis ex simili farina, quā panis, compacta edulia longè aliud sunt in usu humano, quam panis. Illud facile indulgeo, ut panem possit quis aqua coquere; quia sic non se extrahit ab usitate panis: quare sicuti posset illum ad prunas assare, assatōque tunc vesci, quod nemo negat; sic poterit aqua elixare, elixatumque comedere.

Abstinentiā à Carnibus.

21. Qui vovit abstinere à carnibus, potest comedere lacticia, quia hæc non veniunt in communi loquendi more, nomine carniū. Propter eandem rationem, qui vovit abstinere à lacticiis, videtur posse carnibus vesci, & ita putat S. v. *Votum* n. 25. Sanchez *de cap.* 11. num. 46. Sed non assentior, quia ex communi hominum existimatione, qui à se prohibet lacticia, prohibet & carnes seu supponit carniū prohibitionem: & certè mirum esset, hominem tunc non posse comedere ova, posse gallinam tacite ducitur (nisi expressè contrarium intendatur) in voto abstinentiæ à lacticiis, involuitur promissio abstinentiæ à carnibus, non verò contrā. De abstinentia carnis accessorie ad votum jejunii, vide n. 12.

§. VII. De Voto rei indeterminato.

1. **V**otum de materia indeterminata, sive primò quoad quantitatem ut: *Voveo elemosynam*, non designando quantam; sive secundò quoad qualitatem, ut: *Voveo dolium vini*, non decernendo ejus bonitatis, sive tertio quoad individuitatem, ut: *Voveo dare in elemosynam unum ex his duobus servis, hunc, vel illum equum, &c.* Votum, inquam, de re indeterminata validum est, & licitum; quia indeterminatum non tollit bonitatem materię, sed solum obligat votentem, ut illam decernat. Sed ecce difficultas, quia ratione ea determinari in ipsa executione debeat?

2. Dico primò, quoad priora duo, ita determinari debere, ut secundum regulam §. *precedente* datam, quantum minus potest, vovens gravetur, usum tamen loquendi, & voventis intentionem semper præ oculis habendo. Ita Valentia 2.2. *disp.* 6. *quest.* 6. *punct.* 4. *quest.* 3. Azor. 5. *parte.* lib. 11. *cap.* 20. *quest.* 2. & 10. Bonacina *tomo* 2. *disp.* 4. *quest.* 2. *de voto, punct.* 6. num. 12. & 31. alique. Poterit igitur minimam, infimamque, prout maluerit, eligere: Dixi (Vsum loquendi, & intentionem præ oculis habendo) per diligentem enim advertet, quod & Doctores advertunt l. *Nummis*, ff. *de legatis* 3. & nos *supra* §. lib. 1. *cap.* 3. §. 7. *Legatum*, & v. *Votum*, monimus in legatis; tacite ipso voto interdum determinationem involvi, verbi gratia, si calicem voveas, certè argenteum, non verò vilioris materię debes; quia ex usu loquendi, dum voves Calicem, pro Missa celebranda voves, qualis est ad minimum argenteus quoad cupam. Pari modo, si vovisti panem, oleum, &c. non potes quæcunque vilissima, sed quæ usui communi solent convenire.

3. Vinum pro celebrandis Missis vovit quidam dandum singulis diebus Patribus Capucinis, atque hoc Votum in hæreses transmisit: qui (ut allolet) sui genitoris pietatem oblitus, vinum dabant infimæ qualitatis: interrogatus ego de hæredum obligatione, eosdem monui, Votum Patris non servari, nisi bonum vinum, ac Sa-

cificio dignum ministrarent, hoc enim tacite promissit, ex communi more, Pater.

4. Dico secundò, quoad tertiam indeterminatorem individuatōis; posse voventem, quod libenter, eligere. Quia dum quis ita promissit, tacite voluit non unam partem determinatè promittere, sed liberè offerre, quam voluerit. Si quando alterutrum ex his ante electionem pateat, an, quod superest, integrè debeas, variant Doctores. Dividendum putant, Sanchez *lib.* 4. in *Dec.* *cap.* 13. num. 19. & Molina, *tomo* 2. *de iust.* d. 270. *vers.* quando res una; integrè dandum docet Bonacina *lib.* 4. *de voto*, q. 2. *part.* 6. num. 34. & Castro Palau *tomo* 3. *tr.* 15. *disp.* 1. p. 12. num. 26. illi, quia res remanens non erat tota addita: sed solum veluti pars; hi, quia sensus promissionis videtur hic: *Dabo equum*, v. g. *quem habeo ex his duobus*. Vtrumque probabile.

CAPUT XVI.

De Obligatione Voti.

1. **N**on obligat Votum, Primò, si cesset ex natura rei. Secundò, si ex lapsu temporis. Tertio, irritatione. Quarto, dispensatione. Quintò, commutatione, de quibus ea, quæ magis sunt necessaria, insequentibus explicabuntur.

§. 1. De cessatione Voti ex natura rei.

1. **C**essat veluti ex natura sua Votum, Primò, quando materia promissa, sive in re, sive secundum prudentem hominum æstimationem, diversa notabiliter sit. Ita Valentia 2.2. *disp.* 6. *quest.* 6. p. 4. *vers.* eo igitur modo, Sanchez *lib.* 4. in *Decalog.* *cap.* 2. num. 20. Ratio est, quia illam promissit vovens, non verò diversam.

An sint mutata circumstantiæ in eo, qui vovit castitatem, vel Religionem, si multos, vel aliquos annos vixit vxoratus; disputat amicissimus Tancreda, p. p. *q. mor.* tr. 3. *de voto, disp.* 1. *quest.* 51. an nimis benigne, qui legit, expendat.

Diversa autem fiet, quando notabiles difficultates superveniunt, vel de novo quid simile cognoscitur, ex parte ipsius materię promissæ; quare est periculum vitæ, honoris, gravis alicuius damni. Sic Suarez *lib.* 4. *de voto*, *cap.* 10. num. 1. tunc enim res videtur transire in alium statum moraliter diversum, quem vovens, nequaquam promissit.

Dixi (de novo cognoscatur) nam si, non obstante illo periculo cognito, adhuc vovisti, obligaris promissum, quia res pro te non est mutata: solum erit perpendendum, an honestum fuerit, cum eo vitæ verbi gratia, periculo vovere, atque aded, an votum valuerit: Sanè interdum valere, quando virtuti consonum est, tali periculo se exponere, certum est; ut accidit fortè Carthusiano, voventi, nunquam, ne in infinitate quidem, carnes comedere.

2. Cessat secundò, cessante causa finali, non verò impulsiva: sic Sanchez *loco citato*, num. 42. Azor. *parte* 1. l. 11. *cap.* 15. *quest.* 14. sine enim non subsistente, nec subsistit promissio. Quod si finis principalis sit duplex, videndum est, utrum divisibiliter, an indivisibiliter uterque fuerit intentus, & inde vigorem voti cognosce, ut *supra* *cap.* 13. n. 12. & 13. innuimus satis.

Hinc, si vovisti dare elemosynam Petro pauperi, & hic dives evasit: Si eandem vovisti ad finem impetrandi salutem absentis filio, & hic mortuus erat, quando votum emittebas; Si ad finem liberandi captivum à servitute, & hic non inveniatur fuisse captivus, vel ante tuum votum ad libertatem fugâ se vindicasse; Si ad finem ædificandi Ecclesiam, atque hæc propter hæreticos, v. g. inuencientes, ædificari non concedatur; ad nihil tenetis; siquidem causa finalis tui voti nequaquam subsistit.

Nota